

À MONSIEUR, MONS^r BERNH. JUSSIEU,

MEMBRE DE LA ACADÉMIE DES SCIENCES,

PARIS.

VIR ILLUSTRIS AD CINERES VENERANDE,

Accepi litteras; accepi Semina; utraque tanquam a patre genuino accepta refero, te ut patrem botanices semper agnosco et agnoscam, pius tuus vivam; et mihi gratulabor esse tuus discipulus, utinam dignus.

In Fauna infinita emendanda habeo ipse; utinam ipse velles docere discipulum, ut possem emendare pleraque; proximo anno alteram editionem dabo; erat in hac scientiâ primum tyrocinium; forte non ita facile erat prima in hac scientiâ dare fundamenta.

Accessit D^{nm} Missa* præterlapso autumno; de quo omnes Parisiis scripsère quantus erat, excepi eundem uti ex cælo demissam Pandoram; excepi hospitio; curavi omnia quæ in me erant; nudus accessit; vestitus fuit; pecunias numeravi absque spe redditionis; quid non facerem discipulo tanti præceptoris? tandem ipse mihi retulit quam indigne se gesserat et in te et in inelytum Reaumurium; observavi, nil dixi.

Erat mea mensa, simplicissima licet, ipsi patens. Meridie et vespere post ferias natiuitatis Christi rediit Stockholmiâ Upsaliam bene vestitus a nuper defuncto illustri legato et omnibus nostris non satis laudando de Lanmary, sed quod dolui aliis moribus. Sermo de germano botanico, ita alienabat animum ejus ut non tantum reliquit domum meam, sed vituperiis, maligno sermone, se reddidit affabilem inimicis omnibus, ut si ipsa invidia ex inferno surexisset, ego non pejus fuisset contaminatus; discessit sic ex hospitio meo non salutato hospite, ac si fecissem pessima. Deus me inter et

* Iterata mentio et querela in litteris, tum hisce, tum ad cl. medicum et herbarium Monspeliensem Sauvages Delacroix adhuc ineditis, de doctore isto Missa, cæterum tam obscuro. Memoratur etiam idem in epistolâ Linnæi ad Hallerum 25^a (Sept. 1748), quâ teste, e Germaniâ in Succiam redux litteras summorum virorum alterius ad alterum retulerat. Eodem fere tempore exortum inter ipsos dissidium, in quo Missa a Linnæo alienatus partes adversas suscepit. Hunc quidem non plurimi fecisse videtur Bernardus et in Adansonii litteris supra laudatis legimus: "*Je souhaite que, s'il est vrai que le Sr Missa fasse son retour en France, il laisse tout du moins le volatîl de son esprit en Suède, et ne nous rapporte que le fixe.*" Altrinsecus hæc Archiater Reg. Suec. Bæck in epistolâ ad Bernardum: "*Surément M. Missa deviendra habile homme, s'il ne l'est pas. J'aîmois à la fureur sa compagnie et je plains Linnæus de l'avoir irrité. Mais encore il est un mystère ici ce qui auroit pu faire odium plus quam Vatinianum entre ces deux messieurs. Aumoins autant que je voye, c'est M. Linnæus qui a tort pour n'avoir pas mieux ménagé un étranger, et qui plus est un François.*" — Citatur in Bibliothecâ Botanicâ Halleri Henr. MISSA auctor Dissertationis *de Vi Sanguinem comprimente Lycopodii* (in Commentariis Bononiens. Scient. et Art. Institutii), unde patet, ut ex nomine, genere Italum fuisse.